





Bono cum Deo!

DISPUTATIO PHYSICA
DE
CORPORE
NATURALI ET
NATURA,

Quam

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS ZEISOLDI,

Phys. Prof. Publ.

Publicè defendendam suscipit

JOHANNES CONRADUS HEDENUS,

Sondershusâ-Thyring.

Ad d. 3. Septembr.

In Auditorio Majori.



JENÆ,

Typis PHILIPPI LIPPOLDI,

ANNO 1636.



VIRIS

*Magnifico, Amplissimo, Consultissimo atq̄
Excellentissimo,*

Dn. HIERONYMO HEDENO, Icto Eminentissimi, ac Perillustri. & Generosissimi. Comitum à Schwarzburg & Hohnstein etc. Vice Cancellario, & Consiliario gravissimo;

Praenobilissimo ac maxime Strenuo,

Dn. JOHANNI HEINRICO OBENSCHNITZ
apud Aulam Sondershusanam Hipparcho splendidissimo;

Plurimum Reverendo, Clarissimo atq̄ Excellentissimo,

Dn. SALOMONI GLASSIO S.S. Th. Doctore
Celeberrimo, & Sondershusanae Dioceseos Superattend. vigilantissimo, meritissimo;

Amplissimo, Consultissimo & Excellentissimo,

Dn. PAULO MICHAELIS, J. U. Doctore
eximio, & in Imperiali Northusa Patria Syndico spectatissimo;

*Dominis suis, Patrueli, Promotoribus & Patronis,
omni observantia cultu, animiq̄ submissione perpetuum
prosequendis,*

In honoris & gratitudinis debita testimonium, studiorumq̄ suorum commendationem

Hocce exercitium Academicum

Offert

Respondens.

ΕΥΡΩ ΟΕΩ.
DISPUTATIONIS

Non satis constitit apud omnes, uti etiam Mercenarius in Dilucid. p. 1. cōqueritur, ubi nam in Physica sua Aristoteles subiectū Naturalis Scientiæ constituerit & definiuerit. Averroës putavit, (uti scriptum reliquit in 2. Phys. t. 3. fol. 39.) corpus naturale definitum fuisse in titō lib. 1. de Cælo. Verba ipsius hæc sunt: *Sciendum est, quod subiectum istius libri (intelligit secundum Physicorum) est Natura, & principia naturalia, quum sint communia omnibus rebus naturalibus: & ideo in hoc libro non definit (sc. Aristoteles) corpus, neq; alia, de quibus considerat naturalis, sicut fecit in principio Cæli, & Mundi.* Unde ex ipsius mente deducitur, corpus naturale in Libris Acroaticis minimè subiectum esse, cum juxta ipsum, in illis essentia ejus non explicetur.

§. 2. Sed hac in re Averroëm insigniter fuisse deceptum, eò magis quidem, quòd putavit, corporis definitionem ab Aristotele fuisse traditam in lib. 1. de Cælo text. 3. ostendit Mercenarius l. 1. pag. 1. & 2. In illo enim Aristotelis loco leguntur hæc verba: *Corpus est omni ex parte divisibile.* Quibus sanè verbis non contineri & exprimi definitionem corporis naturalis, illis, qui rerum naturas intimiùs perspicere nōrunt, manifestum est: Etenim quomodo illa potest esse corporis naturalis definitio, cum ejus essentiam ne quidem attingat, sed solum divisibilitatem secundum omnem dimensionem explicet. At verò per divisibilitatem natura & essentia corporis naturalis explicari nequit. *Conf. Mercenar. l. d.*

§. 3. Hoc quidem verum est, quòd in lib. 1. de Cælo cap. 2. text. 5. Aristoteles proponat, vel potius repetat definitionem corporis naturalis, vel, si mavis, doctrinam de corporibus naturalibus specialem in illa fundet, dum inquit, *omnia corpora naturalia naturam, principium motus ipsis insitum habere.* Et progrediens, illud statim dividit in simplex & mistum, divisionemq; hanc declarat ex divisione motus in simplicem & mistum,

stum, & demum *text. 7.* corpus naturale simplex, quod corporis naturalis species est, definit.

§. 4. Ut autem, ubi verè Aristoteles corpus naturale, utpote subjectum scientiæ Naturalis, nobis definitum reliquerit, aperiamus, non abs re erit, perspicere, quodnam sit verum Physicæ Aristotelicæ initium; procul dubiò enim in principio hujus scientiæ, judicantibus Mercenario & Zabarella, quorum verba deinceps adducemus, corporis definitionem exponere intendit.

§. 5. Averroës, interpretans ultima illa verba Aristotelis *lib. 1. Physicorum*: rursus aliud principium incipientes, dicamus: geminam illorum affert expositionem, & priori missâ, posteriorem postea in medium affert, inquit, *Aristotelem fortè intendere per aliud principium aliud doctrinæ initium, quoniam reverà principium hujus scientiæ sumendum sit à secundo tractatu sive libro.*

§. 6. Cujus quidem dicti nullam unâ adducit rationem. Averroës; illud autem verissimum esse, & firmissimis inniti fundamentis, asserit *Zabarel. lib. de Nat. scient. Constit. cap. 9. col. 22. C. propterea quod nullum convenientius sit naturalis scientiæ initium, quam à definitione subjecti, & à declaratione hujus nominis, Natura.* Id quod ipsum in alijs dicti libri capitibus constanter asseverat, ut *cap. 2. Col. 6. D. conveniens erat, inquit, ut in ipso hujus scientiæ initio subjecti definitio proponeretur, &c.* Et *cap. 12. Col. 39. C.* asserit, in *l. 1. de Cæl. repeti ab Aristotele ex lib. 2. Physic.* definitionem corporis naturalis. Mirum autem est, quòd Averroës illud ipsum non perspexit, cùm tamen perspexerit, & statuerit, principium doctrinæ Physicæ à secundo tractatu, sive libro esse debere.

§. 7. Vestigijs itaque Mercenarij & Zabarellæ insistentes, asserimus, subjectum Physicæ, quod est corpus naturale, vel res naturalis, vel ens naturam habens, (hi enim modi loquendi coincidunt, & sunt familiares apud autores,) constitutum ac definitum fuisse *lib. 2. Physic. cap. 1.* Et quidem statim in *text. 1. libri* indigitat, quòd *ea, quæ naturâ constant, cujusmodi sunt animalia, & plantæ, & simplicia corpora, ut terra, ignis, aer & aqua,*

& aqua, (hæc enim & huiusmodi naturâ dicimus esse) universa
principium in se ipsis motus quietisve habere videantur. Et post-
quam Naturam definiit text. 3. quòd sit principium & causa
movendi & quiescendi eius, in quo inest primò per se, & non per ac-
cidens; statim text. 4. inquit: naturam autem habent, qua tale prin-
cipium (sc. movendi & quiescendi) habent. Et text. 6. ait, quòd
dictum sit, & quid sit natura, & quid sit id, quòd constat naturâ,
nim. corpus naturale.

§. 8. Quam ipsam de natura & essentia corporis naturalis
doctrinam repetitam & inculcatam invenimus in alijs quoq;
libris Physicis Aristotelicis: sic illam repetit in 1. lib. de Cæl. cap. 2.
text. 5. ubi de corporibus simplicibus, utpote de primis cor-
poris naturalis speciebus agere intendens, provocat ad lib. 2.
Physic. cap. 1. naturam, principium ipsis insitum esse motus, asserens.
Et iterum aggrediens doctrinam de corporibus animatis &
Anima, similiter ad illam doctrinam se convertit, in lib. 2. de
Anim. cap. 1. text. 8. ajens, quòd anima non sit cuiusvis corporis
ratio & substantia, sed naturalis, h. e. talis, quòd in se motus & sta-
tus principium insitum habet.

§. 9. Insuper & in libris Philosoph. Primæ eandem doctri-
nam non semel inculcavit. Ut lib. 5. Philosoph. cap. 4. inquit,
quòd natura sit substantia eorum, qua in se ipsis, ut ipsa sunt, mo-
tus principium habent. Item lib. 6. cap. 1. text. 1. decernit Physi-
cam scientiam circa talem substantiam, in qua principium est mo-
tus & status, qua in eâ sunt. Et ejusdem lib. 11. cap. 6. Physicam
iterum circa ea esse dicit, qua motus principium in se habent.

§. 10. Est igitur definitio corporis naturalis ex Aristotele
hæc: Corpus naturale est substantia, in qua principium motus &
quietis per se inest. Genus ponitur substantia; in quo corpus na-
turale convenit cum substantia Spirituali; distinguitur autem
ab ea per reliquam definitionis partem: in qua principium mo-
tus & quietis per se inest.

§. 11. Cum autem principium motus & quietis sit natura,
(ex locis Aristotelicis nuper allegatis,) ideoq; perinde est, si
hoc modò efferas: Corpus naturale est substantia, in qua natura
per se inest. Est enim natura substantia eorum, quæ in se ipsis,

ut ipsa sunt, motus principium habent, lib. 5. *Philos. Prim. t. 4. text. 5.* quamvis prior ille efferendi modus videatur formalior, expressior, & Aristoteli conformior, id quod patet, quando lib. 2. *Physicor. cap. 1. t. 4.* inspicimus, qui ita legitur: *Naturam autem habent, h. e. res naturales sunt, quaecumq; tale principium habent, i. e. principium motus & quietis, ex text. 1. & 3.*

§. 12. Notandum autem, quantam ad verba differentiam exprimentia, I. quod *principium motus & quietis*, uti in definitione Naturæ, ita quoq; in definitione corporis naturalis intelligi debeat de *potentia movendi & quiescendi*, uti partim res ipsa monet, cum natura semper primò elargiatur potentiam, antequàm actum, & de se omnis actus præsupponat potentiam; partim quòd illud manifestè colligitur ex alijs Aristotelis locis, ut ex lib. 6. *Phys. t. 30.* ubi ita inquit: *Quiescere enim id dicebamus, quod est aptum, ut moveatur: & non movetur tunc, cum aptum est moveri, & ubi, & quemadmodum moveri est aptum. Quare cum in ipso nunc nihil sit aptum moveri, patet, nihil etiam in eodem quiescere aptum esse; & ex lib. 3. cap. 5. t. 51.* ubi inquit. *Quamvis quàm maxime totum non moveatur, dicat tamen ipse oportet, (Anaxagoram intelligit, contra quem ibi disputat,) cur non est aptum moveri. Fieri enim potest, ut non moveatur quodvis corpus; sed nihil prohibet aptum esse moveri. &c.*

§. 13. Hujus rei gnarus Scotus, doctor subtilissimus, ipse quoq; illà particulà istò modò interpretari voluit, in lib. 2. *Phys. s. 3 q. 3.* quando ita scribit: pag. 165. *Sciendum, quòd sicut isti termini, activum & motivum, non dicunt actum agendi vel movendi, sed potentiam, & habilitatem ad agendum vel movendum; ita isti termini, principium & causa (intellige, motus & quietis) denotant aptitudinem & inclinationem ad movendum, & ideò sensus est, quòd natura est principium, quòd illud, in quo est, est natum moveri & quiescere. Hæc ille. Et eòdem hoc pacto illa verba intelligi volumus in definitione corporis naturalis, quòd, quantum ad differentiam, per principium motus & quietis definitur.*

§. 14. Notandum II. quid tum in corporis naturalis, tum in ipsius Naturæ definitione, veniat nomine *motus*. Unò verbò, *omnia motus & mutatio Physica. Quæ duo vocabula non si-*

re

ne singulari consilio conjungit ipse Philosophorum Cory-
phæus in *lib. 2. Phys. t. 10.* & in *lib. 2. t. 1.* non, quod unum idemq;
significant, vel denotent hîc; sed ut illis latitudo hujus rei
exprimat, adeòq; unum (motus) per alterum (mutatio-
nem) explicetur. Mutatio enim latius patet, quam motus,
omnemq; Physicarum motionum & operationum ambitum
in se continet. Intendunt itaq; verba illa definitionis de
omni mutatione, tam substantiali, quam accidentali, uti le-
genti *cap. 1. lib. 3. Phys.* patebit.

§. 15. In illo enim, cum *Aristoteles t. 1.* dixisset, quod post
doctrinam de Natura, de motu quoq; pertractandum esset,
cum ipsa quidem Natura motus mutationisq; principium sit,
&c. *Text. 3. & 4.* motus & mutationis species metiri aggredi-
tur ex varijs generibus entium, edisserens & asserens, *text. 5.*
tot esse motus mutationisq; species, quot ipsius entis, & re-
censet definitq; *text. 6.* quod alteratio sit actus alterabilis, ac-
cretio & decretio accessibilis & decrescibilis, generatio &
corruptio generabilis & corruptibilis, & deniq; latio actus
ejus, quod fertur. Quam doctrinam eodem modo repetit in
lib. 12. Philos. Prim. c. 2. t. 7. recensens quatuor transmutatio-
nis species, aut *secundum ipsum quid*, ut generatio simplex & cor-
ruptio, aut *secundum quantum*, ut augmentatio & diminutio, aut
secundum quale, ut alteratio, aut *secundum ubi*, ut latio, seu mo-
tus localis.

§. 16. Ita etiam Interpretum doctissimi: *Dd. Conimbr. in*
lib. 2. Phys. c. 1. q. 2. Art. 1. Col. 260. B. dicunt, nomen motus, ac
proinde etiam quietis, ample sumendum esse hoc loco, ita ut omnes
mutationes Physicas, sive momentò, sive tempore editas, compre-
hendat. Et doctissimus *Crellius in lib. 2. Phys. t. 3. p. 65. Col. 2.*
ita inquit: *Causa motus i. e. mutationis seu motus generatim accepti,*
prout omnes sub se mutationis species comprehendit. Ita ex eodem
Magirus Physiol. Perip. lib. 1. c. 1. in Comm. pag. 13. & alij com-
plures. Errant proinde illi, qui motum hoc in negotio ad
motum localem restringunt, eundemq; vel maximè intelli-
gendum esse statuunt.

§. 17. Imò & motus animalis istâ voce, adeòq; istâ defi-
nitio-

nitione comprehenditur, id quod ex *Arist. 8. Phys. t. 22. clarò*
percipitur, quando inquit, *animalia in se habere principium sui*
motus, cumq; dicit fieri à naturâ. Nec subicere possumus, quòd
Antonius Ruvio in lib. 2. Phys. c. 1. q. 3. pag. 157. & Petrus Hurta-
dus de Mendoza Diss. Phys. 7. sect. 3. §. 18. p. 297. statuunt, di-
scursum, & alias operationes Animæ Intellectivæ, esse mo-
tûs naturales, cùm procedant à natura, & viribus illius. Et
cur non? Est enim Anima Rationalis, etiam secundùm ratio-
nalitatis gradum, natura, eiq; convenit definitio naturæ *lib. 2.*
Phys. cap. 1. tradita. Et operationes ejus erunt naturales.
In quam ipsam sententiam gravissimorû horum Doctorum &
nos descendimus, eò magis quidem, quòd manucentem
habemus Aristotelem, qui postquam *lib. 2. de Anim. cap. 1. t. 6.*
Animam (in genere) à priori definivit, postea *cap. t. 24.* ean-
dem à posteriori describere aggreditur, per actus nimirum,
atq; inter alios, per *intellektionem*, inquit: *Anima est id, quò*
vivimus, sentimus & intelligimus primò. Anima ibi definita est
natura, estq; forma & actus corporis naturalis, ex *lib. d. t. 9.*
cur non actus ejus, operationesq; ab eâ, ut formâ & princi-
piò activò internò, provenientes erunt naturales? Cur non
& ipsa intellectio, quippe quæ cæterarum operationum vi-
talium apex est & fastigium?

§. 18. Nec obstat ibi analogia, quòd nimirum sic motus
analogicè dicitur de actibus Intellectus, vel actus intellectus
analogicè & quodammodò impropriè veniunt nomine mo-
tus, quòd q; sic definitio Naturæ non manet univoca; nihil,
inquam, obstat; sic enim & *Anima in lib. 2. de Anim.* defini-
tur in genere, quòd sit *actus primus corporis organici, &c* quæ
certè definitio habet aliquid impropriæ analogiæ, propter A-
nimam Rationalem. Imò in quòq; genere est talis analogia,
secundùm quam perfectior est una species alterâ. Sic anima
rationalis est alijs perfectior, & inter formas materiales una
alterâ perfectior est. Sed hoc non auferit univocationem.

§. 19. Uteriùs Ill. notandum, quòd dictum in defini-
tione, quòd corpus naturale sit substantia, *in qua inest* princi-
pium motus &c. quâ particulâ notatur ipsum corpus natura-
le,

le, ut subjectum, cui natura inest; quod etiam in definitione
Natura exprimitur, quando dicitur, quod sit principium mo-
tus eius scil. rei sive subjecti, in quo inest &c. sic l. 8. *Physic. cap. 4.*
s. 27. ea natura moveri dicimus, quorum principium motus in ipsis
est.

§. 20. Deniq; IV. additum fuit in definitione, per se; quare
particulam ipse *Aristoteles lib. 2. Phys. s. 3.* & ex eo *Zabar. lib. de*
Nat. Scient. Constit. c. 2. Col. 4. D. inculcant, ad innuendum,
res naturales à non naturalibus distingui per hoc potissi-
mum, quod, quatenus sunt naturales, habent in se ipsis prin-
cipium motus, quod quidem alijs non competit, nisi per ac-
cidens. Scamnum enim, & quodlibet aliud corpus artificio-
sum, habet quidem in se principium motus & quietis, non
tamen per se, quia non ut artificiosum, sed, quatenus materi-
am habet corpus aliquod naturale, ut lignum, vel lapidem,
ex quo constat, principium illud motus & quietis habere
consensendum est.

§. 21. Hujus rei causa non est alia, quàm quòd ea, quæ na-
turà constant, irrefragabiliter suæ formæ substantiali acce-
ptum referunt principium sui motus, suæq; quietis; nempe
eorum forma est ipsorum motus & quietis præcipua causa
efficiens, ut equus à forma sua substantiali habet augmenta-
tionem & diminutionem; aqua à sua forma alterationem de
calido in frigidum, & motum secundum locum deorsum; si-
militer mutationum suarum quietem habent res illæ à formis
suis. Res autem artificiales non habent à forma artis, figu-
ræve per artem inducta, principium sui motus & quietis. Nam
forma artis non est effectiva motus & quietis rerum artificio-
rum, ut lignum, ex quo factus fuit lectus, si planteretur in ter-
ram, & regerminet, illa regerminatio non est à figura lecti,
sed à forma substantiali ligni: & si statua ænea movetur deor-
sum, forma artificialis non facit illum motum, (quamvis
enim non inesser ejusmodi figura, nihilominus adhuc move-
retur deorsum) sed forma substantialis lapidis. Nam à for-
ma substantiali, quæ in rebus artificialibus, vel si mavis, in re-
rum artificialium materia est, rerum artificialium motus

B

&

& quies proficiscitur, & moventur quiescuntq; illæ, secundum quod lapideæ, ligneæ, aut terreæ sunt.

§. 22. Ex quibus sic declaratis patet unà, nihil incommo-
di esse, eandem rem naturalem simul & artificialem esse, ut
annulus e. g. re ipsa non est aliud quàm aurum, & statua la-
pidea re ipsa est lapis; rationes tamen & formæ sunt longè di-
versæ. Nam dicuntur naturales à forma substantiali, artifi-
ciales verò à figura artificiali ab opifice per artem inducta,
& illius verò tantum vis agendi & operandi est, huius verò nul-
la. Sicut enim quantitatis propriè nulla vis & virtus est, ita
quoq; nulla figuræ, quæ quantitatis est terminatio.

§. 23. Porro cum natura geminò dicatur modò, uti docet
Aristoteles 2. *Phys.* c. 1. t. 10. & cap. 2. t. 21. & c. 8. t. 81. unò qui-
dem prima cuiq; *subiecta materia* eorum, quæ motus in se mu-
tationisq; principium habent; aliò verò modò ipsa *forma &*
species; quarum illam nomine principij passivi, & communis
subiecti, hanc nomine & ratione principij activi motus atq;
quietis Dd. indigitant; Hinc eandem rem definit, & idem ex-
primit, qui ita corpus naturale definit: *Corpus naturale est*
substantia materia & forma constans. Cum enim materia &
forma à Natura realiter non distinguantur, sed sint, in re,
ipsa natura, certè eò ipsò, quò corpus naturale per naturam
definitur, quoq; per materiam & formam definitur; & vicis-
sim eò ipsò, quò per materiam & formam definitur, per natu-
ram definiendum est.

§. 24. Ubi statim notandum, materiam & formam dupli-
citer in Physica Aristotelica, & in rei etiam veritate conside-
rari, vel duo utriusq; illius esse momenta, uti ex Aristotele
annotant Zabarella l. d. c. 5. col. 14. Arniseus *Epit. Phys.* p. 30. Jac-
obus lib. 2. *Inst. Phys.* c. 1. p. 33. & alij passim: 1. quantum ad
generationem & constitutionem rerum naturalium; 2. quan-
tum ad motum, mutationem, & operationem earundem:
Illò modò considerantur in primo, hoc in secundo *Phys.* li-
bro.

§. 25. Estq; *materia juxta priorem considerationem* princi-
pium, ex quo, cum aliquo, fit aliquid, vel, ut definit *Aristo-
teles*

teles lib. 1. Phys. c. 9. t. 82. est subiectum primum, ex quo in-
existente primò & per se aliquid generatur; juxta posteriorem
verò est principium, in quo ut subiecto fit aliquid, vel, mate-
ria est principium subiectivam & causa materialis in qua mo-
vendi & quiescendi ejus entis naturalis, in quo est, ut pars
substantialis in toto. Forma verò juxta priorem consideratio-
nem est ratio essendi rebus naturalibus; juxta posteriorem verò
est principium & causa efficiens movendi & quiescendi ejus
entis naturalis, in quo est, ut in toto.

§. 26. Ubi Præterea notandum venit, quòd Aristoteles,
definiens rem naturalem, & per quam illa est, Naturam, di-
videns in materiam & formam, magis respexit ad posteri-
orem utriusq; illius considerationem, quàm ad priorem.
Maximè enim respexit ad motum, utpote manifestissimum
naturæ effectum. Quòd pertinet, quòd *lib. 3. Phys. c. 1. t. 1. in-*
quit: si ignoretur motus, naturam etiam ignorari necesse est. Un-
de etiam in 2. Phys. c. 7. t. 71. inquit: Quacumq; mota movent,
sunt Physica considerationis; subinveniens, explicante Zabarella
lib. d. c. 2. col 5. E. illud tantùm à Physico ut subiectum con-
siderari, quod in se ipso habet principium motus, ita, ut quic-
quid hujusmodi est, in ea scientia consideretur ut subiectum,
&c. Imò Aristoteles sæpissimè per motum investigat essentias
rerum naturalium; tùm nimirum, cùm non præstò adsunt dif-
ferentiæ essentialis, quæ profectò magnà ex parte nos latent,
earum locò adhibere consuevit proprios motus & operatio-
nes naturales; uti patet vel maximè ex lib. 1. de Col. c. 2. Unde
etiam factum esse videtur, quod quidam Philosophi statue-
runt materiam sive subiectum Physicæ corpus mobile, signi-
ficantes per mobile non respectum ad motum, sed rationem
& gradum essentialem corporis, ex quo per se oritur motus,
& respectus ad motum, ita ut eas omnes res comprehendat
subiectum Physicæ, quæ per se sunt physicè mobiles, atq; mu-
tabiles, uti judicat & explicat Pererius lib. 2. de Phil. Nat. t. 3.
p. 77. atq; sic ita statuendo digitum quasi intenderunt in mo-
dò allegatum textum 71. lib. 2. Phys.

§. 27. Posset etiam, haut incommodè *corpus naturale de-*
finiri,

finiri, quodd sit *substantia ex naturis per se constans*, ex lib. 2.
Phys. cap. 2. t. 10. & illis, quæ §. 22. in medium allata fuerunt.
Quâ definitione Titelmannus, Stapulensis, & alij utuntur.
Cum enim materia sit natura, & forma sit natura, certè eò
ipsò, quò corpus naturale per materiam & formam definit,
idem per naturas definit, per naturas, intellige, partiales.
Sic e. g. ignis tota substantia est constans ex duabus naturis, sc.
materia ignis, & forma ejusdem. Est enim naturarum una sc.
materia semper subiectum formarum, & substantialium & ac-
cidentalium; alia verò, utpote forma in subiecto existens, mu-
tationum & operationum causa.

§. 28. Nota, quòd dictum fuit, *forma in subiecto existens*,
id quod non ita accipiendum est, quasi forma substantialis sit
in subiecto inhesionis: bitariam enim *aliquid in aliquo ut sub-*
jecto esse dici potest: unò modò, ut consubstantiale in consubstan-
tiali, quemadmodum anima tua in corpore tuo, quorum
utrumq; tibi substantiale est, & alterum alteri consubstantia-
le, quippe quæ simul totam concausant, constituantq; corpo-
ris substantiam: *alterò modò* ut accidens in subiecto, quemad-
modum calor in corpore humano. Idcirco subiectum ad
duo comparatum, substantiam scil. & ad accidens, quâ illam
materia, quâ hoc causa materialis esse dicitur; & materiam
primò modò materiam ex qua dicere solent, secundò verò
modò materiam in qua, & materiam subiectivam.

§. 29. Ex quibus sic expositis demum perspicere est, quæ-
nam sint res illæ, quæ naturales dicuntur, quæq; naturâ con-
stant. nimirum omnes illæ, quæ principium movendi & qui-
escendi in se habent; quæ verò non habent, ex sub rebus natu-
ralibus non continentur, nec naturâ constare dicendæ sunt.
Sunt ergo res naturales corpora tam simplicia, ut Cœlum & quatuor e-
lementa, quàm mixta omnia, & hæc tam animâ & vitâ carentiâ, quàm
eâ prædita, uti Aristoteles indigitat *l. 2. Phys. c. 1. t. 1. § 10.* & peculia-
riter de naturalitate corporum simplicium, Cœli & quatuor elementorū,
constat apertè ex *l. 1. de Cœl. cap. 2. t. 5. § 99.* Non sunt verò res naturales,
quæ principium illud motus & quietis in se non habent, uti sunt substan-
tiæ Incorporeæ. Et in his acquiescimus.

F I N I S.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 1062499



12